# SANCTISSIMI PATRIS BENEDICTI XIII. PONT. MAX. CONCIO

*HABITA*

## In Consistorio Secreto die octava Novembris 1728.

*Unà cum Actis in eodem Consistorio recitatis.*

VENERABILES FRATRES: Jam satis compertum Fraternitatibus Vestris, exploratumque est, quàm graves hactenus hæc Sancta Sedes curas susceperit, quantaque cum animi fortitudine & longanimitate Romani Pontifices fel. record. Clemens XI. & Innocentius XIII. pro tuenda sana doctrina adversus errores per Constitutionem, quæ incipit, *Unigenitus*, sapientissime proscriptos, omnes Apostolatus partes expleverint, ut qui debitam obedientiam detrectabant, veritati acquiescerent; præsertim verò, ut præclaris ornamentis insignis Collega Vester Cardinalis de Noailles Archiepiscopus Parisiensis, in cujus nomine & auctoritate dissensionis suæ præsidium locaverant pervicaces, sincera & Episcopali declaratione debitum persolveret, eosque illustribus suæ dignitatis exemplis mandatisque ad officium revocaret. Nos verò inter eos turbarum æstus ad Catholicæ Ecclesiæ gubernacula inscrutabili judicio Superni Patris admotos, jam probe nostis, Venerabiles Fratres, omnem operam contulisse, ut idem dilectus Filius noster alacri animo Paternis optatis nostris obsequeretur. Dextera tandem Domini glorificata est in virtute, & secundum multitudinem dolorum in corde nostro cælestes consolationes lætificaverunt animam nostram, quas cum Fraternitatibus Vestris ex hoc loco duximus esse communicandas, ut quos mœroris laborisque socios habuimus, gaudii quoque nostri socios habeamus. Christo enim inspirante idem Collega Vester eos sinceræ obedientiæ sensus Nobis aperuit, quos ex literis ipsis ad Nos datis volumus Fraternitates Vestras excipere.

*Secundum hæc ab Archiepiscopo Emisseno à Secretis Brevium ad Viros Principes recitata est Epistola Cardinalis de Noailles ad Sanctissimum Patrem.*

# SANCTISSIME PATER.

ITeratis sæpius supplicationibus ad Beatitudinem Tuam jam confugi, PATER SANCTE, nunquam pro summa caritate Tua repulsam passus, nondum tamen pro votis exauditus. Exaudiar tandem, & optata referam Apostolicæ gratiæ pignora. Statui enim, quæ à me desiderari indicasti, ita pleno ac fideli implere obsequio, ut excidant & deleantur omnia, quæ displicuerunt, simul & constet, me prorsus cum Sanctitate Tua, cum Eminentissimis Collegis, & cum universo Episcopatu idem sentire, ac docere: hoc certo ac firmo, quod diu coram Christo meditatus, ipso inspirante cepi consilio, multum sublevor, lux jam serenior affulget, redit animi pax & tranquillitas, totusque conquiesco in sinu Beatitudinis tuæ, quæ excelsam Summi Pastoris Sedem cælestis sapientiæ studio, ac omnium virtutum splendore implet & illustrat. Ego jam delibor, Beatissime Pater, instat tempus resolutionis meæ, in proximo adstat Christus Judex; ipso jam teste profiteor, me Constitutionem *Unigenitus* sincero obsequio ac debitâ reverentiâ suscipere; Librum Considerationum Moralium ac centum & unam Propositiones ab eo excerptas eodem modo & sub iisdem qualificationibus in dicta Constitutione expressis rejicere ac damnare, ac insuper revocare corde & animo documentum illud Pastorale, quod à Nobis Anno 1719. editum fuit, sicut & id omne, quod huicce acceptationi contrarium nomine nostro prodiit. Spondeo præterea me quam primum, quos hic aperimus Sanctitati tuæ animi nostri sensus, Pastorali documento propositurum ac promulgaturum, ut ab omnibus in hacce Regia Urbe & amplissima Diœcesi, pari nobiscum fide & Religione Decretum Apostolicum observetur. Hac sincera & Episcopali declaratione debitum exolvimus, Beatissime Pater: Tuæ jam est caritatis, fidelem & obsequentem filium solari & erigere, obstat nihil, quin jam totum tuæ te permittas pietati. Effluant igitur in nos, quæ intercepta doluimus, Patris optimi beneficia, jamque adeo exoptatam solennis Jubilæi gratiam largiaris, ut unà cum nostris digniores Deoque gratiores effecti, meliora & sanctiora vota pro incolumitate Beatitudinis Tuæ, ipsiusque Apostolatus prosperitate ex animo nuncupemus. Interea ad pedes Sanctissimi Patris provolutus Benedictionem Apostolicam exorat

BEATITUDINIS TUÆ

19. Julii 1728.

*Humillimus Obsequentissimus & Devotissimus Filius & Servus*

L. A. Card. de Noailles.

Christi

Christi Nos igitur caritate urgente, eidem dilecto Filio Nostro tam luculentis filialis obſervantiæ ſignificationibus commendando, per noſtras in forma Brevis literas occurrimus, quas Fraternitatibus Veſtris recitari mandamus.

*Lectæ ſunt literæ Sanctiſſimi Patris in forma Brevis, per quas antedicto Cardinali reſpondit.*

Dilecto Filio Noſtro Ludovico Antonio Tituli S. Mariæ ſupra Minervam Presbytero S. R. E. Cardinali de Noailles nuncupato.

# BENEDICTUS PAPA XIII.

*Dilecte Fili noſter Salutem & Apoſtolicam Benedictionem.*

SApientiſſimum conſilium, quod coram Chriſto diu meditatus, ipſo inſpirante cepiſti, ſicut ſereniorem Tibi lucem afflavit, animoque pacem & tranquillitatem revexit, ita Nos mirificâ conſolatione replevit; nec ſatis explicare poſſumus, quanta cum lætitia exceperimus literas tuas die 19. proximè ſuperioris menſis Julii ad Nos datas: Quæ nimirum, præteritâ cunctatione in ſtudioſam parendi alacritatem converſâ, filialis tuæ in hanc Sanctam Sedem obſervantiæ ſenſus animo Sacerdotali digniſſimos repræſentarunt; ac Te abolendi diſſidii ſalutaribus curis ſollicitum, ſervandique gregis zelo ferventem, talem denique Nobis exhibuerunt, qualem Nos veteris tecum neceſſitudinis memores, paternis ſtudiis flagrantes expectabamus, Tibi verò literas haſce noſtras gaudiorum vicem reddituras eſſe non dubitamus - per quas nimirum meritas Tibi laudes deferimus, quod virtuti & ſapientiæ tuæ cæterisque præclaris dotibus, quæ Te à genere, ordine & dignitate mirificè exornant, apprime reſpondere ſtudueris in explendis, quæ à Te præſtolabamur, officiis. Epiſtolæ igitur tuæ ſignificationibus mature conſideratis per nonnullos Venerabiles Fratres noſtros S. R. E. Cardinales, quibus rem coguoſcendam demandavimus, veram obedientiam, & ſinceram ac ſimplicem Conſtitutionis, quæ incipit *Unigenitus*, acceptationem tuam eſſe perſpicientes; cum ad ea delenda, quæ huic Sanctæ Sedi diſplicuerunt, jamque improbata ſunt, Paſtorale documentum, quod die 14. Januarii, anno 1719. ediderat, & omnia, quæ contra memoratam acceptationem tuo nomine prodierunt, corde & animo revocaveris, Te, Dilecte Fili noſter, quem à Nobis, veluti quadam temporis procella divulſum dolebamus, priſtino paternæ voluntatis amore complectimur; Tibique inſignem optatamque obedientiæ victoriam ex animo gratulamur. Fructus interea tuæ ſubmiſſionis uberes expectamus, quorum ſpes eximia Nos ad gratiam reddidit propenſio-

res. Tuum enim esse intelligis, quod Te facturum polliceris, ut hactenus detrectantes ad debitam antedictæ Constitutioni obedientiam Pastorali mandato excites & adducas; quo Indulgentiis Jubilæi, quas enixe postulas, rite comparatos, Apostolicis deinde beneficiis auctos, sectatores habeas bonorum operum, ac sollicitudini exemplisque tuis obsequentes. Satage igitur, Dilecte Fili noster, ut quem olim pro Apostolicarum Constitutionum observantia strenuè laborantem hæc Sancta Sedes per felic. record. Clementis XI. Prædecessoris nostri literas collaudavit, jam nunc ejusdem, pro delendis dissensionis errorisque vestigiis, ac pro vera pace in Ecclesiasticæ unitatis firmamento constabilienda, non imparem pastoralem zelum sentiat & commendet. Ita enim bonum certamen certaveris, consummatoque cursu repositam apud justum Judicem Te reportaturum confidimus coronam justitiæ; cujus pignus esse cupimus Apostolicam Benedictionem, quam paternis pro tua incolumitate votis conjunctam, Tibi, Dilecte Fili noster, peramanter impertimur. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die XXI. Augusti MDCC. XXVIII. Pontificatus nostri Anno Quinto.

*Carolus Archiepiscopus Emissenus.*

Cum autem Pastorale Mandatum, quod pollicitus erat, jam promulgaverit, ex eo emendatas nostri vestrique doloris causas, & populo ipsi credito legitimam Apostolicæ Constitutionis obedientiam indictam præscriptamque esse intelligetis.

*Ejusdem Cardinalis Mandatum, Gallicè quidem promulgatum, hìc verò etiam Latinè, redditum.*

Mandatum Eminentissimi Domini Cardinalis de NOAILLES Archiepiscopi Parisiensis pro acceptatione & promulgatione Constitutionis SS. D. N. Papæ Clementis XI. datæ die 8. Septembris anni 1713. complures Propositiones damnantis &c.

LUDOVICUS ANTONIUS DE NOAILLES miseratione divinâ Cardinalis Presbyter Sacræ Romanæ Ecclesiæ Tituli Sanctæ Mariæ super Minervam, Archiepiscopus Parisiensis, Dux Sancti Clodoaldi, Par Franciæ, Ordinis Spiritûs Sancti Commendator, Sorbonæ Provisor, & Domûs Navarræ Superior, omnibus nostræ Diœcesecos fidelibus *SALUTEM & BENEDICTIONEM.*

Gratia vobis & pax à Domino nostro Jesu Christo. Quò propiùs ad eam accedimus noctem, in quâ nemo ampliùs poterit operari, eò magis in nobis experimur jugem illum augeri mœrorem, quo animus noster afficitur, cùm videmus luctuosa

luctuosa dissidia, quæ circà Constitutionem *Unigenitus* in hacce Diœcesi etiamnum superstant.

Quid sanè acerbius nobis atque molestius accidere potest suspicione illà, quà nonnulli sincerum & demississimum nostrum ergà Sanctam Sedem obsequium, & filiale studium, quo ipsum Summum Pontificem in eâ tantâ cum laude Regnantem prosequimur, adhuc in dubium vocare pergunt, quinimò incertam reddere velint nostram cum Collegis nostris in Episcopatu concordiam & contra morem animumque, quo ducimur, nomen nostrum in nomen factionis & dissensionis traducatur.

Ut iis os obstruatur, qui falsos adeò rumores spargunt, vehementer optabamus veros atque animo nostro altè defixos sensus in medium proferre. Quod si fortè diutius quàm par erat hujusce desiderii stimulis obsequi distulimus, ea dumtaxat nos causa detinuit, quod fore speraremus, ut indulgentiâ & caritate morosiores lucraremur, priusquam in eos auctoritatem nostram experiremur.

Hæc autem lenis agendi ratio locum ampliùs habere non debet, cùmque ætas, ad quam devenimus, viriumque decrementum quotidie vos moneant, instare tempus, quo de longo laborumque plenissimo Episcopatu quantociùs Deo responsuri sumus, ideò veremur, nè anteà morte occupemur, quàm certa & indubia dederimus argumenta nostræ decretis Sanctæ Sedis obedientiæ, nostræque cum Gallicanæ atque Universæ Ecclesiæ Episcopis consensionis in suscipiendâ Constitutione *Unigenitus*.

Nec propterea minùs proni erimus, Carissimi Fratres, ad solvendas dubitationes, & ad sedandas anxietates eorum è vobis, qui in re tanti momenti adhuc lumine indigent. Satis est hodiè nobis illos exemplo docere, quod ut sequantur excupimus, undè nobis oboriatur solatium quietè diem obeundi in medio grege pastori suo penitùs conjuncto, ab omni disceptatione & contentione alieno, neque alibi quàm in obsequio autoritati debito veritatem ac pacem quærente.

Obaudite igitur, carissimi Fratres, vocem parentis, qui vos fortassè postremum alloquitur, quique exiguo tempore, quo vobiscum mansurus est, uti meliùs non potest, quàm si bonorum omnium maximum vobis conciliet, pacem videlicet illam, quam Jesus Christus Ecclesiæ suæ veluti pretiosissimam hæreditatis suæ partem reliquit.

His de causis, & omnibus mature perpensis, ac Dei Sancto Nomine invocato, suscipimus cum sincerissimis obsequio & submissione Constitutionem *Unigenitus Dei Filius*, datam die 8. Septembris 1713. Damnamus tam Librum Considerationum Moralium, quàm centum & unam propositiones ab eo excerptas, eo modo & cum iisdem qualificationibus, quibus illas Summus Pontifex damnavit. Monemus omnes utriusque sexûs fideles nostræ Diœceseos, non licere sentire contrà quàm definitum est in dicta Constitutione *Unigenitus*; iis prohibemus ne legant aut penes se retineant tam præfatum librum quàm alios omnes libros aut opera sivè manuscripta sivè typis mandata quæ prodierunt, aut prodire poterunt in defensionem dicti libri, & propositionum damnatarum.

Mandamus eorum exemplaria quàm primùm ad nostram Cancellariam deferri. Prohibemus pariter ne quis doceat, scribat, aut loquatur super iisdem propositionibus aliter quàm in dictâ Constitutione declaratum est, neve aliquam è propositionibus damnatis tueatur; idque sub pœnis & censuris Ecclesiasticis ipso facto incurrendis, prout in dictâ Constitutione sancitum est.

Declaramus nos per viam Juris inquisituros esse in eos, qui ausi fuerint loqui, docere, prædicare, aut scribere contrà dictam Constitutionem, seu qui falsis interpretationibus avertent fideles ab obedientiâ illi debitâ, & fovebunt controversias & dissidia, quibus affligimur.

Utque magis ac magis elucescat sincera nostra S. Sedi submissio, corde & animo revocamus tam documentum nostrum Pastorale datum die 14. Januarii 1719. quàm id omne, quod nomine nostro pervulgatum est, huic nostræ acceptationi contrarium, ac vetamus cuilibet & quolibet tempore, ne rebus hisce revocatis utatur sub iisdem pœnis antea significatis.

Jubemus ut prædicta Constitutio & mandatum hocce nostrum in tabulas publicas fori nostri Ecclesiastici inscribantur, promulgentur, & affigantur ubicumque opus erit. Datum Lutetiæ Parisiorum die lunæ 11. Octobris anno millesimo septingentesimo vigesimo octavo.

Subscripsit

L. A. Card. de Noailles Archiepiscop. Parisiensis.

*Et infrà*

De Mandato Eminentissimi

CHEVALIER.

Filialis denique observantiæ gratique animi testimoniis insignes literas adjunxit, quæ non minùs Episcopalem ejus pro Apostolica doctrina, & authoritate zelum profitentur, quàm nostrarum ad Deum obsecrationum perseverantiam postulant, ut pro reducenda animorum concordia imperet ventis & mari, atque ad compescendas refragrantium turbas novâ illum induat virtute ex alto. Sed præstat Vos optimi Collegæ sensus ex iisdem literis audire.

*Literæ laudati Cardinalis unà cum Mandato ad Summum Pontificem missæ.*

BEA-

# BEATISSIME PATER,

IMplevi promissa, feci quod debui, & quod præcepisti. Constitutionem *Unigenitus* Regia in Urbe, totaque Diœcesi Parisiensi solenni documento, quod ad Sanctitatem Tuam dirigo, rite promulgavi. Intimo cordis affectu, & summa cum voluptate experior, quam jucundum sit, & quam bonum, docilem filium unanimem cum Fratribus Patri assidere, idem cum ipso non modo sentientem, sed & loquentem. Crescunt mirum in modum teneræ pietatis meæ sensus, cum datur palam & securè gloriari benevolentia Pontificis, cujus vita tota defensioni Fidei, Altarium ministerio, & continuis caritatis operibus consecrata, facta est forma universorum Ecclesiæ Pastorum. Attamen non celabo te, Pater Sancte, lætitiam meam aliqua sollicitudine & formidine non nihil imminui. Meos omnes & singulos vellem esse præsentis gratulationis & obsequii mei participes: Verum præteritis ex tumultibus satis intelligit Sanctitas Tua, non posse omnia subito componi. Sedatis gravissimis tempestatibus, succedunt fastidiosi detumescentis pelagi motus, qui molestiam & nauseam creant navigantibus, etiam extra naufragii periculum positis.

Non absimile experiemur incommodum donec cessaverit, qui tantus efferbuit disputantium æstus, & revocati ad normam Christianæ docilitatis animi in unanimitate conquiescant. Hujus autem eventus, qui in manu Dei est, anceps & incerta expectatio anxium me tenet & sollicitum; nullis tamen parcam laboribus, nec animam meorum salute pretiosiorem faciam. Jubebo in primis, caveant illi ab iis hominibus, qui valde restiterunt verbis meis, & quos tot censuris exagitavi, Jansenani scilicet erroris & factionis reis, qui ultima dissidia verterunt ad renovanda sua perversa dogmata, & ad abrogandam quaqua possent salutarem legem præscripti ab Ecclesia formularii; tum summa cura enitar, ut Constitutionis *Unigenitus*, & contentæ in ea censuræ authoritatem & æquitatem agnoscant & profiteantur. Verbo dicam, pro veritate & unitate agam armis caritatis, sapientiæ & auctoritatis.

Atque hæc ista sunt, quæ pro ratione temporum incumbunt laboriosa officia: Provectæ quidem ætatis pondere, & infirmitate paulatim corpus atteritur; at spiritus renovatis collectisque viribus accenditur ad restituendam, priusquam abeam, dilectæ Ecclesiæ meæ tranquillitatem. Det Christus, testis sinceræ meæ voluntatis, ut hoc perficiam, quod est ultimum summumque desideriorum meorum, nec dimittat servum suum, nisi prius videant oculi mei concordes inter se omnes filios meos, firmatamque pacem universum super gregem.

Non deerit conanti & laboranti Sanctitas Tua. Tu Pater optime, quem amas non deseres; Tu Christi nomine, qui exauditus est pro sua reverentia (ipsius enim in terris vices geris) necessaria mihi implorabis impetrabisque subsidia, Tu, cujus est præcipuè confirmare fratres, tuis me pro re Catholica certantem auspiciis, Apo-

stolica

ſtolica providentia & auctoritate diriges & proteges, quo frangantur adverſantium vires, corda emolliantur, & præjudicatæ ac maligne ſuggeſtæ opiniones mentibus evellantur, omneſque tandem adducantur ad obedientiam & concordiam. Quæ dum mihi meiſque voveo, oro ſummum Deum, ut tantum Pontificem multos in annos ſervet incolumem.

SANCTITATIS TUÆ,

*S. Idiophum.* Huic Epiſtolæ jam prope ſubſcribebam, cum audio infauſtum, excuſum furtivis typis, prodire quaſi ſcriptum à me die 22. ultimi menſis Auguſti, inſtrumentum. Quod ſi fortaſſis, meorum ac pacis adverſariorum opera, ad S. V. perveniat, fidem illi prorſus nullam adhiberi precor, reſervari totam ſinceris his proteſtationibus, quas continent ſcriptæ à me ad Beatitudinem Tuam epiſtolæ plures & adjunctum literis hiſce, propoſitum à me populo meo Mandatum.

Pariſiis die 23. Octobris 1728.

*Humillimus, Obſequentiſſimus, & Devotiſſimus*
*Filius & Servus*

L. A. Card. de Noailles Archiep. Pariſienſis.

Cantemus igitur Domino, Venerabiles Fratres, ac demus gloriam laudi ejus; ſuppliciter poſtulantes: ut cœptum opus ipſe perficiat; quo diſſidiis procul amotis, redeat optata tranquillitas, atque in unitate ſpiritus pax & charitas chriſtiana triumphet.

Juxta Exemplar Romanum. MDCCXXVIII.

Ex Typographia Reverendæ Cameræ Apoſtolicæ.

COLONIÆ, Apud JOANNEM ENGELERT neben der Unnaw. 1729.

Ludovicus Antonius de Noailles natus annos 78 habens patrem Annonem
[illegible]ncem de Noailles, parem Franciæ, et Regii Ordinis Equitem, Matrem [illegible]
[illegible]uisam Boijer Domicellam Status Reginæ Annæ Austriacæ, ab Inno
21 Junii 1700 in Cardinalem creatus, denatus in Archiepiscopali palat